

*Iustitia, & pia Religio, Pietasque, Fidesque
Intemerata almis posuere sedilia terris?*

*Heic vbi perpetuo floret Respublica ductu,
Prosperitas viget aeternum, tota aurea pleno
Largiter omnigenas fundit res Copia cornu,
Et quae flava Ceres gremio dat munera aperto?*

*Quas Candor lato ore colit, quas optima rerum
Aurea Libertas, vigilansque Industria, doctas
Quae profert arteis dias sub luminis auras?*

*Et quo Castalidum placidissima turba Sororum,
Et Phoebus pater, eximia dulcedine capti,
Et blanda Charites, Veneres, & amœna Voluptas,
Parnassique iugis, sacroque Helicone relictis,
Migrarunt pariter, dulcis pariterque recessus
Hos petiere alacres? vbi molli dulcia in umbra
Otia agunt mistæ Nymphis, festasque choreas
Mollibus exercent pratibus, & carmina dicunt?*

*Hec ergo tam culta potest gens Barbara dici?
Barbara vel dici queat hæc latissima tellus?
Ipsa oculis tellus animo & gratissima nostro?
An non hi populi, terræque, Urbesque beatae,
Et dignos cedro, clarosque merentur honores?
Inclytæque aeternis inscribi nomina chartis?*

*Thessala laudarunt alij, & Teumessia Tempe,
Laudarunt Heliconæ alij, iugæque ardua celsi
Parnassi, celeberrimæ & claræ Lacedæmona, Athenas
Illustreis, veteres Thebas, ditesque Mycenæ,
At cedant, certè sunt, sunt celebranda deinceps,
Laudibus eximias, hæc grata ac roscida Tempe,
Laudandi hi populi, terræque Urbesque beatae.*

*At proprius ut inest laudatis gratia rebus
Exigua, & sordet, proprio quæ fluxit ab ore,
Laus propria, atque adeo rebus plerumque stupendis
Parua fides datur, illustri si carmine de se.
Quis miranda sua, & plenis illustra buccis
Facta canat, tumidusque suos ostendet honores.*

*Est vrbs insignis placidi prope flumina Scaldis
Clara viris, opibusque potens, & diuite gazæ:
Heic fortuna domum fixit, sedesque locavit.
Huc populi properant cunctis ex partibus orbis,
Neptuno prognata olim, quo moenia surgunt
Iacta tuis manibus Cyllem, moenia tertium
Nunc aucta, immensa supra quàm credier unquam
Mole queat, latis fossis, atque aggere cincta,
Totius opposito quæ dorso perferat orbis
Insultus, si Turca ferox, Thracesque, Scythæque
Indomiti, omni ex parte ruant, ac dira minentur.*

Heic Iuuenem nuper vidi florentibus annis;

Quem